

sunt multi; inde longa illa et infausta apud nos veteris philosophiæ oblivio, donec nuper, variis ex causis, antiquorum philosophia iterum honori et studio haberi cœpit.

III. Recentes philosophi *plerique*, vel cum Bacono, Lockio, Condillachio, Stuart Mill et Spencer, in *sensualismum* deciderunt; vel cum Cartesio, Malebranchio, Leibnitzio et Kantio, in *idealismum*, excogitatis a priori systematibus, posthabitis sensuum et experientiæ documentis.

IV. Denique, recentiorum philosophorum opiniones, a Cartesio usque ad Kantium et hodiernos, ita ratione *propriâ* finguntur, ut nonnunquam a *sensu hominum communi* abhorreant. Paucis utemur exemplis: si fides Cartesio, corpora non percipimus, sed cæco naturæ impetu admittimus; animalia sensu carent, nec sunt aliud nisi *automata* affabrè concinnata. — Docente Malebranchio, corpora minime agunt, nec anima in corpus; homo etiam nunc fruatur intuitione Dei. Juxta Leibnitzium, entia mundana non agunt in invicem, homines necessariò moventur ad agendum ex actibus et motibus præcedentibus, qui futuros actus motusque omnes determinant.

Ista porrò aliaque id genus multos moverunt ad credendum philosophiam esse vanam fulemque admodum scientiam.

Hoc quidem intellexit schola vulgò *scotica*, duce Reidio, cui multi, in Galliâ, adhæserunt; hinc nata est schola quam *sensûs communis* vocant, quia eum solum sibi ducem instituit. At verò schola ista ruinam attulit metaphysicæ; *sola* enim *phænomena* externa vel interna considerat, abstinet a causis rerum *supremis* investigandis, quasi rationi nostræ impervii. Sed neglectis rerum rationibus, de medio tollitur philosophia, quæ quidem in iis quærendis tota constat.

§ IV. De stylo D. Thomæ et scholasticorum.

Recentes quidam D. Thomæ et scholasticorum sermonem ut aridum et rudem culpant. Porrò in promptu est responsio, et quidem multiplex. 1° Si ex comparatione argumentari licet, recentium philosophorum sermo sæpe arbitrarius est, novus et admodum mobilis; apud eos, quisque linguam

propriam habet, et iisdem verbis diversum diversi sensum attribuunt, vel ad idem significandum diversis utuntur vocabulis; e contra scholasticorum sermo ita constans est ut ab uno omnes discas. — 2° Cuique scientiæ *proprius* est sermo aliquis ac suus dicendi modus quo res de quibus disserit, vel *brevius*, vel *fidelius* enunciat; hoc autem ei nemo crimini vertit. Simplex itaque S. Thomæ aliorumque scholasticorum sermo, ut scientiam decet (1), at simul *præcisus*, rebus æqualis, *definitus*. — 3° Sermo ille D. Thomæ et nobiliorum scholasticorum, qui hodiernis multis haud probatur, quoniam discendum illum non curaverunt, is est tamen quem clari *theologi* omnes, *concilia* multa et *mystici* non inglorii usurpaverunt, laudâruntque SS. Pontifices.

Cæterùm, cùm se dederit occasio, explanabimus quæcumque verba scholastica usurpabimus, et dicemus etiam quandoque quid iis respondeat apud recentes philosophos. Similiter recentium philosophorum opiniones, ubi opus erit, cum sententiis D. Thomæ comparandas curabimus.

En breviter declaravimus rationes præcipuas cur Doctori Angelico adhæreamus; adjiciamus aliam quæ nos vehementer movet, et quam recentes non pauci fatentur. Hæc autem sumitur ex ingenio S. Thomæ *moderato*, *sapiente*, ab *extremis opinionibus alieno*, et *in medio semper insistente* (2).

Liceat jam his SS. Innocentii VI assentiri: « Hujus Doctoris « doctrina, præ cæteris, exceptâ *canonicâ*, habet *propriè-
« tatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententia-
« rum*, ita ut nunquam qui eam tenuerit, inveniatur a ve-
« ritatis tramite deviâsse, qui autem eam impugnaverit,
« semper fuerit de veritate suspectus. » (In oratione de S. Thomâ).

(1) « Omne quod de re bonâ dilucidè dicitur, mihi præclarè dici videtur. Istiusmodi autem res dicere ornatè velle, puerile est; planè autem et perspicuè expedire posse, docti et intelligentis viri. » (Tullius, *De Finib.*, III, 5).

(2) « On n'a pas plus de justesse, de mesure, d'équilibre, dans toutes ses pensées. » (COUSIN, *Hist. génér. de la phil.*, V^e leçon).

« Thomas Aquinas ad solidum tendere solet. » (LEIBNITZIIUS, *Theodic.*, de bonitate Dei, pars II, n. 330).

PHILOSOPHIÆ PROLEGOMENA

Dicendum est : 1° de philosophiæ definitione , 2° de illius divisione, necnon de ordine diversarum ejus partium, 3° de præcipuis illius fatis; 4° de illius præstantiâ et utilitate.

§ I. — Philosophiæ definitio.

1. Philosophia, quoad *nomen* spectata, originem habet ex duabus vocibus græcis, φιλος et σοφια, idem sonantibus ac studiosus sive amicus sapientiæ. Quod quidem philosophiæ nomen imposuit Pythagoras; qui enim ante illum causas ac naturas rerum investigabant, sapientes, σοφοί, appellabantur. Ast Pythagoras humilius de se sentiens, non sapientem se, sed sapientiæ amicum et curiosum nominavit.

2. Quoad *rem* philosophia definiri potest *scientia cognitionis humanæ et variarum rerum quæ humanâ ratione cognosci queunt, per supremas earum causas vel rationes.*

Dicitur 1° *scientia*; habet enim quæcumque scientiam constituunt: nimirum objectum proprium, methodum rectam, principia certa, ex quibus conclusiones certas, inter se colligatas et ad unum finem conspirantes eruit. Itaque et declarat esse res quibus studet, et earum explicationem seu causam exhibet.

Errant igitur qui philosophiam pro scientiâ *exactâ* non habent, propterea quòd abundet opinionibus et careat conclusionibus firmis, seu, ut aiunt, veritatibus *acquisitis*. Enimvero non magis abundant opiniones in Philosophiâ quam in aliis generatim scientiis, ut exemplo sunt non solum historicæ, sed naturales etiam aut physicæ scientiæ. Ex aliâ autem parte, permultis philosophia gaudet veritatibus firmis et inconcussis, quæ spectant ad leges cognitionis ac ratiocinii, ad naturam, originem finemque hominis et animæ spi-

ritualitatem libertatemque, ad principia metaphysica, ad existentiam et attributa Dei, ad originem ac leges mundi, necnon ad morum disciplinam. Quæ si aliter ab aliis *explicantur* aut etiam negantur a quibusdam, quoniam physicorum *experimento* non apprehenduntur, nihil tamen ex suâ vi amittunt, quippe quæ partim experientiâ, partim ratione inniuntur.

Dicitur 2° *cognitionis humanæ et variarum rerum quæ humanâ ratione cognosci queunt*; quibus verbis indicatur simul *objectum* de quo disserit, et *instrumentum* quo utitur. — Atqui objectum ejus amplissimum est, quia spectat ad scientiam ipsam cognitionis, deinde ad varias res quæ cognosci possunt ab humanâ ratione, scilicet ad hominem ipsum, et ad res extra hominem positas, ens in genere, mundum, Deum ac morum disciplinam. — Sub eo respectu, philosophia multum differt ab omnibus aliis scientiis rationalibus quæ singulæ versantur circa materiam aliquam *particularem*, v. g. Arithmetica circa quantitatem *numerabilem*, Geometria circa quantitatem *mensurabilem*, Physiologia circa organa et functiones viventium. Ex eâ parte Philosophia continet, *modo generali*, objecta omnium scientiarum rationalium.

Instrumentum verò quo philosophia utitur, est humana *ratio*, quæ et *experientiam* comprehendit. Sub eo respectu, philosophia convenit cum aliis scientiis naturalibus, differt autem a Theologiâ sacrâ, quæ licet disserat de quibusdam e iis rebus circa quas occupatur philosophia, non humanæ rationis, sed divinæ revelationis lumine utitur; quod satis est ut ab eâ distinguatur *specificè*.

Dicitur 3° *per supremas earum causas vel rationes*; ubi indicatur *modus* proprius quo philosophia de objecto suo disputat, et quo iterum a scientiis naturalibus omnibus secernitur. Dum enim istæ rerum particularium quibus student nonnisi leges vel causas *proximas* inquirunt, illa erigit sese altius et requirit *ultimam* explicationem rerum, scilicet originem, essentiam ac finem ultimum, atque ad ipsum Deum ascendit, ut in eo inveniatur demum sufficientem et supremam omnium entium rationem.

§ II. — Divisio Philosophiæ et ordo partium illius.

3. Divisio philosophiæ, ut advertit Sanseverino, ex ejus definitione sponte defluit in *subjectivam* et *objectivam* partem (1).

Subjectiva pars vocatur quæ de cognitione et subjecto cognoscente, *objectiva* autem quæ de objecto externo cognitionis disserit. Porrò pars *subjectiva* duos, et *objectiva* quatuor tractatus amplectitur.

Pars enim *subjectiva* vel disserit de scientiâ cognitionis : unde *Logica*; vel agit de variis potentiis, necnon de naturâ ipsius hominis cognoscentis : hinc *Anthropologia*.

Pars autem *objectiva* sic dividitur : vel dicit de ente in universum, scilicet de communissimis rerum omnium proprietatibus atque principiis : inde *Ontologia*; vel de mundo in universum : inde *Cosmologia*; vel de primo et nobilissimo ente : inde *Theologia naturalis*; vel demum de morum legibus : inde *Ethica* seu morum disciplina. Sex igitur philosophiæ tractatus enumerantur, de quibus singulatim disputandum erit.

4. De *ordine* inter varias philosophiæ partes instituendo non convenit inter philosophos qui, ut nobis videtur, illi quam pluris faciunt, primum etiam locum adjudicant.

Alii enim, nempe philosophiæ Cartesianæ professores, tuentur ordinem *psychologicum*, et primo loco Psychologiam reponunt; alii autem ordinem *ontologicum*, et vel *Ontologiæ*, vel cum Gratry, *Theologiæ naturali* primas dans partes. At veteres philosophi cum D. Augustino et D. Thomâ, primum de *Logicâ* disseriebant.

Porrò *Psychologiæ* defensores hac ratione ducuntur, quòd nihil homini antiquius esse debeat, quàm sui ipsius suæque animæ facultatum notitia; siquidem iis tanquam instrumentis

(1) A multis philosophia dividitur in tres partes, nempe in *Logicam* seu *rationalem*, *naturalem* seu *Metaphysicam*, et *Ethicam*. At divisio quam sequimur generalior est et magis respondet distinctioni quam recentes multum urgent inter ordinem *subjectivum* et ordinem *objectivum*, inter τὸ ego et τὸ non ego. — Cæterum, modò traditæ definitioni attendas, anam ne minimè quidem præbet *subjectivismo* Kantiano.

utitur ad inventionem veri, et earum ope alias res cognoscit. — *Ontologiæ* verò defensores dicunt prius tractari oportere *Ontologiam*, cum ex eâ hauriamus prima scientiarum omnium principia. — Qui autem primo loco *Theologiam naturalem* reponunt, dicunt initium philosophiæ esse debere ab Ente primo, per quod omnia alia habent cur sint et cur intelligantur.

Porrò, licet concedamus opiniones istas aliquâ specie veri non vacare, probamus tamen veterum philosophorum sententiam, et *Logicam* priorem philosophiæ partem facimus. Enimverò cæteræ omnes philosophiæ partes, et omnes generatim scientiæ, *Logicam* supponunt eâque passim utuntur, *Logica* verò tractatur absque illis.

Probat 1^{um}, quia *Logica* declarat quo modo verum attingamus, præcaveamus a falso, rectè ratiocinemur, ac debitam methodum vel in *addiscendo* vel in *docendo* teneamus. Hinc D. Thomas : « *Necessitas* requirit ut in *addiscendo*, incipiamus a *Logicâ*, quia aliæ scientiæ ab ipsâ dependent, in quantum ipsa docet *modum procedendi in omnibus scientiis*. » (*Opusc.* 70, quæst. ultima, ad 2^{am} quæst., ad 3) (1).

Probat 2^{um}, quia *Logica* nulli enti studet in *particulari*, sed tradit solum *theoriam cogitationis ac ratiocinationis in genere*, juxta leges universales, necessarias, immutabiles, pro quolibet intellectu legitimas. Quare nullus nec *subjecti*, nec *objecti particularis* cognitionem præsupponit.

Confirmatur, quia cæterarum scientiarum progressus nihil *Logicæ* addiderunt, nullam in eam induxerunt mutationem, sed contra, ut Kantius notat, ipsa vel ab initiis suis perfecta fuisse videtur (2).

(1) « Quandò, ait Augustinus, ratio transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius machinamenta et instrumenta distingueret, dirigeret, proderetque ipsam *disciplinam disciplinarum*, quam *dialecticam* vocant? *Hæc docet docere, hæc docet discere*; in hac seipsam ratio demonstrat, atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. *Scit scire*; sola scientes facere potest. » (*De ordine*, l. II, c. 13, n. 38).

(2) « La Logique possède le caractère d'une science *exacte* depuis fort longtemps, puisqu'elle ne s'est pas trouvée dans la nécessité de reculer d'un pas depuis Aristote. Ce qu'il y a encore de remarquable, c'est qu'elle

Quoad reliquas philosophiæ partes, de iis hoc ordine disseremus : nempe 2^o de Anthropologiâ, 3^o de Ontologiâ, 4^o de Cosmologiâ, 5^o de Theologiâ naturali, et 6^o de Ethicâ.

Etenim, postquam in Logicâ declarata fuit scientia ipsa cognitionis, præstat jam agere de subjecto ipso cognoscente, nimirum de homine, de quo tractat Anthropologia. — Inter partes *objectivas* philosophiæ, Ontologia primum locum meretur, quia priùs est de ente in universum et communissimis ejus proprietatibus disputare, quàm de variis naturæ entibus. Cosmologia autem præponitur Theologiæ naturali, non ratione quidem nobilitatis, sed quia ex mundo et rebus visibilibus in aliqualem Dei cognitionem ascendere nobis licet. Demum Ethica Theologiam naturalem sequitur; quippe quæ suum in eâ fundamentum habeat.

5. *Scholium.* Quanquam de variis dissimilibusque rebus disputat Philosophia, una tamen scientia jure dicitur, quia de singulis agit unâ et communi ratione, scilicet per supremas causas.

§ III. — De præcipuis philosophiæ fatis.

6. Variam variis temporibus *extensionem* habuit philosophia, et triplicem ejus periodum meritò distingueres.

Primò enim cum variæ scientiæ tenues adhuc essent, nec certis finibus aliæ ab aliis distinguerentur, omnes capiebantur a philosophiâ; ita ut vir *eruditus* idem foret ac vir *philosophus*. Inde Tulliana illa philosophiæ definitio : « Sapientiam « qui expetunt, philosophi nominantur... sapientia autem « est (ut a veteribus definitum est) rerum divinarum et humanarum, *causarumque* quibus hæ res continentur, scientia. » (*De Offic.*, l. II, n. 2). — Attamen etiam tunc proprium philosophi negotium erat de rebus per altiores rationes disputare.

Ast initio ævi medii, postquam Theologia sacra fusiùs jam

n'a pu faire jusqu'ici un seul pas de plus, et qu'elle semble, suivant toute apparence, avoir été complètement achevée et perfectionnée dès sa naissance. » (*Critique de la raison pure*, t. I, p. 2, trad. Tissot).

strictâ ac verè scientificâ, nempe *dialecticâ* methodo, tractari cœpit, formavit ipsa specialem scientiam; ex quo duæ scientiæ evaserunt, videlicet Theologia et philosophia, quarum prior revelationis, posterior autem rationis lumine, de altissimis rerum causis disputabat. — Tum verò arctissima connexio erat Philosophiam inter et Theologiam.

Annis autem labentibus, et imprimis decimo septimo et decimo octavo sæculo, scientiæ mathematicæ, physicæ ac naturales in immensum excreverunt, et exulaverunt a philosophiâ, formaveruntque scientiarum speciale ac distinctum genus.

Quam ob causam aptiùs jam a cæteris scientiis distinguitur philosophia, si dicatur, ut supra : « *Scientia cognitionis « humanæ et variarum rerum quæ humanâ ratione cognosci « queunt, per supremas earum causas vel rationes.* »

§ IV. — De Philosophiæ præstantiâ et utilitate.

7. *Opiniones.* A veteribus, summis laudibus celebrata est philosophia (Cf. Tullius, *quæst. Tuscul.*, l. V, n. 2). Iis consenserunt catholici doctores, etsi, ut par est, Theologiam philosophiæ præponerent. At nostris diebus, quidam utilitatis et rei materialis nimium studiosi, philosophiæ scientias mathematicas et physicas prætulerunt; alii autem, revelationis nimium incuriosi, philosophiam æquam æmulamque Theologiæ sacræ fecerunt, ut *absolutam* ejus *autonomiam* vindicarent.

8. *Assertio* : *Philosophia reliquas scientias naturales omnes antecellit sive dignitate, sive utilitate.*

PROB. 1^a PARS. — Illa scientia *dignitate* alias vincit, quæ illis generalior et altior est, quæque magis implet intellectuales hominis inclinationes. Porrò talis est Philosophia.

1^o *Est generalior*; tum quia, ex dictis (n. 2), multò amplius objectum habet quàm aliæ scientiæ; tum quia tradit notiones multò generaliores, v. g. notiones entis, unitatis, veritatis, bonitatis, pulchritudinis, substantiæ et causæ, spatii et temporis, quæ summum universalitatis apicem obtinent.

Porrò cùm scientia sit de universali, ea cæteris præstantior est habenda, quæ universalitate præstat.

2° *Est altior*; utpote immaterialior; aliæ quippe scientiæ naturales circa materiam omnes versantur, dum Philosophia vel disserit de entibus essentiâ suâ immaterialibus, v. g. de legibus cognitionis et morum, de animâ humanâ et Deo; vel si agit de rebus materialibus, de iis ratione omnino abstractâ disserit, v. g. cùm disputat de mundo in universum, vel de essentiâ corporum, plantarum, vel animalium.

3° *Magis implet intellectuales hominis inclinationes.* « Omnes « homines, ut clare dicit Aristoteles, naturâ scire desiderant. » (*Met.*, l. I, c. 1). Scientia porrò explicatione seu causâ rerum obtinetur. Et aliæ quidem scientiæ causas aliquas declarant, sed causas tantum *proximas* rerum duntaxat particularium ac materialium (supra, n. 2); et ideo in illis non *quiescit* animus, qui sui aliarumque rerum causam *supremam* exoptat cognoscere. Huic autem nobilissimo desiderio respondet Philosophia.

Hinc antiqua illa et naturalis Philosophiæ origo, quam ad vivum depingit S. Thomas: « Naturaliter inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi causam eorum quæ videntur; unde propter *admirationem* eorum quæ videbantur, quorum causæ latebant, homines primò philosophari cœperunt; inveniunt autem causam quiescebant. » (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 23, ratio 7^a).

PROB. 2^a PARS. — Enimvero scientia hæc aliis scientiis *utilitate* præstat, quæ 1° notiones præbet maximè necessarias omnibus hominibus, 2° nobilissimas hominis potentias maximè perficit, 3° aliis scientiis cunctis necessaria est. Sed talis est philosophia.

1° *Præbet notiones maximè necessarias omnibus hominibus.*

Docet enim existentiam, naturam et attributa Dei; potentias, naturam, originem finemque hominis, ac diversa illius sive erga Deum, sive erga seipsum, sive erga alios homines officia. Porrò iis notionibus quisque maximè indiget.

2° *Nobilissimas hominis potentias, intellectum nempe et voluntatem, maximè perficit.*

Enimvero plurimùm confert ad intellectûs *disciplinam*, quia docet eum artem *definiendi, dividendi, demonstrandi, et errores vel sophismata refellendi.* — Confert ad ejus *altitudinem*, quia eum a materialibus et perituris avocat erigitque ad immaterialia et æterna. — Confert ad ejus *subtilitatem*, quatenus eum exercet in rebus a sensibus remotis, in quibus etiam sæpe utendum est distinctione. — Confert ad ejus *reflexionem*, quatenus hominem ad seipsum revocat et ad intimam sui ipsius considerationem cogit, dum aliæ scientiæ trahunt illum ad *exteriora*.

Directè voluntatem colit, quam haud curant aliæ scientiæ; tradit enim morum disciplinam, ac varia describit hominis officia.

3° *Aliis omnibus scientiis necessaria est*; nam 1. eam *logicè præsupponunt*; quippe ne *initium* quidem habere queunt, nisi præsupponatur certitudo cognitionis humanæ, pro veris admittantur communissima quædam principia, et sciatur methodus juxta quam a notis ad ignota procedere licet. Atqui hæc tria suppeditantur a philosophiâ, sive in Logicâ, sive in Ontologiâ.

2. *Ex eâ certam hauriunt perfectionem.* Nam philosophia facultatibus animæ studet; cuique proprium assignat objectum, quamque in proprio actu *dirigit*. Sed animæ facultates instrumentum sunt scientiarum omnium, et specialis illa rectio quam a philosophiâ accipiunt, singulis *scientiis, indirectè* licet, prosit necesse est. — Præterea philosophiæ disputationes *sensum philosophicum* alunt, quo qui pollent, rationes rerum semper quærere, imò in omni *scientiâ* et in *omni re profundius* judicare solent, atque ad *altiores* causas assurgere.

At *directè quoque* omnes scientias *perficit* philosophia, quatenus omnibus *unitatem* quamdam ac *vinculum* communicat. Nam, ut ait S. Thomas, « omnes scientiæ communicant in principiiis communibus », quibus utuntur ad suas demonstrationes conficiendas (*In lib. 1 Poster.*, lect. 20). Porrò, ut supra innuimus, sola philosophia communissima hæc principia subministrat.

9. *Scholium de philosophiâ scientiarum.* Ars et scientia

omnis, si plenius hauriatur, suam habet philosophiam quæ disserit de *supremis* illius principiis ac rationibus; v. g. si theologus aliquis, ut mos est D. Thomæ, non tantum credenda et agenda decernit, verum etiam dogmatum et morum declarat rationem convenientiamque sive cum inclinationibus, sive cum necessitatibus nostræ mentis, *philosophiam religionis* instituit. — Si Bossuetius, historiæ fata enarrans, factorum causas affert, eademque alia cum aliis colligat, ex præteritis futurorum naturam auguratur, ostenditque terrenas res religioni famulari, aut regi a Deo juxta leges quasdam supremas, *historiæ philosophiam* tradit. — Si Aristoteles, postquam animi nostri potentias, propensiones ac sinus omnes explanavit, Rhetoricæ et Poeseos condidit leges, *philosophiam* edocet *litterarum*. Quod philosophiæ in eloquentiam beneficium his verbis declarat Tullius, eloquentiæ ille clarissimus magister: « Fateor me oratorem, si modo sim, aut quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis extitisse. » (*Orator.*, n. 3) (1).

Omnibus his argumentis attentè perpensis, verum patet illud Tullii « *artium omnium procreaticem quamdam et quasi parentem eam quam φιλοσοφία Græci vocant, ab hominibus doctissimis judicari* ». (*De Oratore*, I, 3).

Diximus supra (*proæm.*, § 2) quænam specialia officia adimpleat philosophia erga Theologiam sacram.

At quoniam *corruptio optimi pessima*, quò altior et utilior est philosophia, si rectè instituatur, eò pejora secum trahit consectoria, si a vero aberraverit. Atque historiâ teste, errores ejus in cæteras quaslibet scientias funestiùs redundant.

Dixi reliquas scientias naturales; quia facilè vincitur a Theologiâ *sacrâ*. Hæc enim omnes scientias, vel speculativas, vel practicas longè superat eum principiorum certitudine, tum materiæ et finis nobilitate. (Cf. S. Th., 1^a, q. 1, a. 5, c).

(1) Et idem (n. 4): « Positum igitur sit in primis, sine philosophiâ non posse effici quem quærimus, eloquentem... Nam nec latius, nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophiâ potest quisquam dicere. »

LOGICA

PRÆVIÆ NOTIONES

§ I. — Logicæ natura.

10. Logica nomen habet ex græcâ voce, λογος, quæ idem sonat ac *sermo*, vel *ratio*, vel etiam *ratiocinium*.

Quoad *rem* spectata, cum D. Thomâ definiri potest: « *Scientia directiva ipsius actûs rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè, et faciliter, et sine errore procedat.* » (*In lib. I Poster.*, lect. 4).

Dicitur 1^o *scientia*; quia ex principiis certis certas et inter se colligatas conclusiones eruit et demonstrat; quales sunt, v. g., leges quas tradit circa definitiones, divisiones, propositiones, vel syllogismos conficiendos.

Dicitur 2^o *directiva actûs rationis*; unde ab omnibus aliis scientiis secernitur et proprium ejus objectum indicatur. Non enim, ut Ethica, dirigit voluntatem ad *bonum*, sed dirigit rationem ad *verum*; nec, ut Metaphysica aliæve scientiæ, tendit ad cognitionem alicujus entis *extra* mentem positi, sed tendit ad cognitionem actuum rationis, docetque *artem cognoscendi quælibet objecta* (1).

Dicitur 3^o *per quam homo in ipso actu rationis ordinatè, et faciliter, et sine errore procedat*; ut distinguatur Logica *artificialis*, de quâ nunc est sermo, a Logicâ vulgò *naturali*.

(1) Hinc infertur Logicam esse scientiam *docentem* simul ac *dirigentem*, seu ut veteres docebant, *utentem*. Prout docens, tradit regulas ad rectè ratiocinandum in quolibet genere, et prout utens, applicat eas regulas variis rebus scibilibus, seu scientiis, pro speciali ipsarum naturâ.